

» Additum fuit huic capitulo de voluntate et consensu dicti magistri  
 » Francisci procuratoris dicti domini Mastini et prenominati dicti  
 » Nicolai sindici et procuratoris domini ducis et communis Venetia-  
 » rum, quod Cagnonus de Mantua pro libris octuaginta grossorum  
 » extortis ab eo apud Hostiliam de certis mercationibus per do-  
 » minos de la Scala seu per officiales ipsorum concurrere debeat  
 » ad ratam cum civibus et fidelibus domini ducis et communis Vene-  
 » tiarum in dicta quantitate decem milium ducatorum auri. Sed si  
 » pro hac additione et quantitate Cagnoni predicti aliquid deficeret  
 » ad summam dictorum X. m. ducatorum in satisfactionibus predi-  
 » ctorum venetorum exigatur tantum plus per modum predictum,  
 » quantum fuerit ille defectus ultra ipsam summam occasione dicta  
 » quantitatis libr. LXXX grossorum Cagnoni predicti. Concurrente  
 » ipso Cagnono ad ratam pro ipsa sua quantitate in exactionibus  
 » supradictis cum dictis civibus et fidelibus venetis, ut dictum est.

» Item quod magnificus miles dominus Ubertinus de Carraria  
 » capitanus et dominus generalis civitatis Padue, ac comune et ho-  
 » mines civitatis ipsius, eujus locis et castris Baxani et Castribaldi  
 » nuper concessis et traditis per comune Venetiarum eisdem domino  
 » Ubertino et comuni, cum omnibus aliis castris, terris et locis ac  
 » hominibus suis et sui comitatus et districtus, includantur et sint  
 » in pace presenti et pro inclusis et insitis in ipsa pace ex nunc et  
 » penitus habeantur et quod securitate et beneficio ipsius pacis  
 » gaudeant et gaudere debeant quemadmodum comunia Vénetia-  
 » rum et Florentie et unumquodque ipsorum communium et quod  
 » contra eos vel contra statum eorum seu terrarum vel locorum  
 » suorum dicti domini Albertus et Mastinus per se vel alios non  
 » inferant nec attentent novitatem, guerram, detrimentum vel sini-  
 » strum aut aliquod contrarium, nec inferentibus vel attentantibus  
 » seu inferre vel attentare volentibus consentiant, nec favorem,  
 » transitum vel consilium exhibeant, ullo modo vel ingenio. Sub  
 » pena et sacramenti et pecunie adiecta in contractu presenti.  
 » Promittere volentibus et promittentibus e contrario dictis domino